Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1951
Quelle:
Copyright:

tor eo, quod promiſerit, ſe *Sidonem* ad Evangelium promulgandum iturum, quod certe nunquam in animo habuerit. *Sidonius* hic *Michael Heldingius* eſt *Moguntini* Suffraganeus et titulo *Sidoniorum* Epiſcopus, qui cum a. 1549. Infulas *Merſeburgenſes* a *Carolo* V. obtinuerit, tempus ſcriptionis noſtrae liquet. Accedit, quod ait Noſter, ſe in *his Imperii Comitiis* ſcribere, quae utique alia non ſunt, quam *Auguſtana* a. 1548. in quibus cum *Sidonius* concinnandae Formulae *Interim* adhibitus fuerit, en odii cauſſam. Alii ceterum Proteſtantes Virum pacis ſtudioſum fuiſſe et Ill. *Seckendorfius* Conciones habuiſſe *Auguſtae cum magna eruditionis et moderationis laude* teſtantur. Sub finem paene ridiculus fit Noſter, dum inter motiva electionis Epiſcoporum ad Laicos transferendae refert: ſic fore, ut Epiſcopatus quamplurimi cedant Principibus et Optimatibus evangelicis. Atqui id a Catholicis maxime in quaeſtionem vocabatur.

DII.

571 Codex chartaceus Hiſp. Ital. Sec. XVI. Folior. 25. 4. complectitur I. Prolixam ad Deum Precationem phraſi potiſſimum Biblica conceptam, cui Titulus: *Oraçion ſacada de la ſagrada Eſcriptura à todos los fieles Chriſtianos, en eſtos peligroſos y poſtreros tiempos, Enuocando a Dios, muy aprouechable, echa por vn Predicador chriſtiano en Viena Archiducado de Auſtria, y transferido de Lingua Alemana en vulgar caſtellano. Por Joſepho Zanngerer de Innſpruque con ſu mejor diligençia.* Initium: *O Sennor poderoſo, eterno, piadoſo, gracioſo, juſto, miſericordioſo* &c. Nihil continet, quod ulla chriſtianarum Confeſſionum jure reſpuat. *Johannis Zangeri Oenipontani Muſicae Practicae Inſtitutiones Lipſ.* 1554. et *Mart. Kemnitii Examen doctrinae coeleſtis* a *Zangero* latine redditum *Urſellis* 1571. ſiſtit *Geſneri Bibliotheca*, in Viri Praenomine, ut reor, lapſa, unde inducor, ut credam, *Praedicatorem* illum *Chriſtianum* Partium *Lutheranarum*, et fortaſſe *J. Seb. Pfauſerum*, aut *Joſuam Opitium* fuiſſe.

II. *fol.* 17. alia manu: *Dialogo nel qual ſi ſcuoprono le aſtutie che uſano Lutherani per ingannare i ſemplici et tirargli dalla parte loro, coſa ad ogni chriſtiano in queſti tempi ſommamente neceſſaria da intendere.* Ita quidem Titulus; verum *Dialogus* ipſe *tegere* potius quam *detegere* videtur. Namque *Silvius* collocutorem *Mutium* per multas ambages eo tandem deducit, ut ei adfirmet: *Eſſendo ſtato alquanti meſi in Auguſta, quando c'eri tu anchora, hebbi occaſione et commodità di intendere le controuerſie, che ſono tra la chieſa romana, et quei che ſono chiamati Lutherani, ne mi rincrebbe punto di hauerle inteſe. Percioche quella dottrina l'ho trouata molto diuerſa*

da